



**Gepredigte Religions-Histori/ das ist/ Jesus Christus und
Seine Kirchen offenbahrlich dargezeigt Von Urbegin der
Welt an biß an das Ende der Zeiten**

Ehedessen auf öffentlicher Cantzel dem Volck geprediget/ Nun aber nach
aufgelößtem oratorischem Faden/ zu bequemerem Gebrauch/ vor
jedermänniglich in diese Les-Form gestellet

in sich begreifende die Religions-Histori von Adam biß auf Christum

Hieber, Gelasius

Augsburg, 1726

VD18 80480381

Allocutio Ad multùm Reverendos Dominos ac Patres Neo-Concionatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72727)



Allocutio

Ad multum Reverendos Dominos ac Patres
Neo-Concionatores.



Philip. II. 17.

Conciones, quas Monachii, celeberrima atque Electorali Bavariae urbe, per octodecim omnino annos, ad populum habui, aliorum potius judiciò, quam meo, typis publicis evulgare animus est, si tamen DEUS optimus Maximus *velle & perficere* suffecerit, ad cuius honorem, laudem & gloriam ejusque Ecclesiae utilitatem, quemadmodum olim dictae, ita & nunc scriptae sunt.

Cur autem ad evulgandos hosce qualescunque discursus induci me passus sim, certè non ea causa est, quasi Bibliothecis libri Concionatorii desint, cum contra accidat, ut nimirum Bibliothecae ejusmodi libris deficiant (tanta hoc nostro saeculo scribendi pruritus & Cacoethes est) neque etiam propterea factum esse putandum est, quasi aliquid mihi in hac dicendi Sparta arrogem, sed quod praesentes hi discursus historiam pertractent Ecclesiasticam, seu potius *Christi & Ecclesiae*, cujusmodi sanè Conciones in vernacula nostra paucissimae extant, neque fortè verendum est, ne deinceps in nimium excrescant numerum.

Coepi autem hanc materiam, quae certè *quinta*, ut vocant *Essentia* totius Scripturae sacrae est, anno 1706. ipso statim introitu, cum, superiorum neorum imperio, Ecclesiae nostrae Cathedram conscendere iussus sum, deduxique à capite ad calcem, à primò videlicet Geneseos capite usque ad ultimum Apocalypseos sancti Joannis, id est, à condito orbe usque ad finem saeculorum. Postliminiò regressus, novo Spicilegio, insigniores veteris novique Testamenti eventus & personas Concionibus quadragesimalibus declamavi: maximè autem vitam Domini Nostri *Jesu Christi, qui est VIA VERITAS & VITA*, ita per aliquot annos populo explicui, ut non singula modò verba & actiones, sed & tempus & locum ubique indicaverim.

Porro cur ita egerim Christi cum primis autoritas & perpetuus Ecclesiae usus me commovit, sic quippe ille ait: *omnis scriba Doctus similis est Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera*: Cum ergo, Patrum sententia, *Nova* illa & *vetera* alia non sint, quam *Novi* veterisque testamenti *Mysteria*, ideo haec ipsa mihi

mihî ante omnia investiganda, elucidanda populoque proferenda semper censui, maximè cum mater Ecclesia istud ipsum in more positum habeat, singulis ut diebus in suo, quod celebrat, officio, ex Veteri Novoque testamento aliquod fidelibus prælegat caput, id, quod sponso jam pridem pollicita fuit inquit: *Nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi &c.* quem ritum etiam sanctissimi gravissimique Ecclesiæ Patres secuti in suis ad populum homiliis nihil aliud, quàm sacram Scripturam exposuere, tantæ ergo authoritati, ut morem gererem, Conciones meas in tres partes dispescere mihi quidem perpetuò solenne fuit: *Prima parte*, currentis Evangelii textum ex Patribus illustravi; *altera*, scripturam Sacram, nostra quidem continuatione, occurrentem; & *tertia* denique *parte*, in memoriæ subsidium, tria ex prædictis deduxi corollaria, auditionibus speciatim notanda, eaque per hebdomadem itentidem recouenda, & quasi in succum & sanguinem convertenda, quod ipsum D. Chrysostomo, Concionatorum facile principi, familiare fuisse itentidem notavi. Sed & alia causa suberat, cur non nisi Scripturam sacram pro concione exponere voluerim, nimirum ut oblatantium hæreticorum ora obstruerem, qui in synagogis suis perpetuò obganniunt, quasi in Ecclesia Catholica sacra Biblia sub scamno delitescerent, velut olim Ammonis impii Regis tempore; quasi ante oculos nostros sublatus esset Christus, quod Apostolus Galatis exprobrat; quasi anilibus solùm fabulis intenderemus, quod idem Apostolus de quibusdam Pseudo-Apostolis conqueritur; quasi Verbum Dei à nobis quàm longissimè esset profcriptum veluti Judæorum Rabbulis seu Rabbinis accidit &c. ut igitur hujus farinae heterodoxos Stentores impudentissimi mendacii, imposturæ & calumniæ convincerem, convictosque publicè arguerem, confunderemque, ego, utut *Apostolorum minimus*, per tot annos non nisi scripturam sacram, & in iis *Christum* & quæ Christi sunt, publicè populo explanare pro virili conatus sum.

Neque quisquam objiciat velim, Scripturam sacram captum vulgi transcendere: Respondetur enim, ideo eandem explanandam, ideo illustrandam, ideo vulgi captui accomodandam, ideo parvulis frangendum panem esse, certè D. Augustinus Fratri suo *Deo Gratias* apud Carthaginem olim Diacono omnino suasit, ut catechizandos rudes à primo Geneseos capite per universæ Scripturæ libros ad usque sui temporis historiam Ecclesiasticam instrueret, atque hujus egregii consilii rationem præclaris hisce verbis aperuit: *Neque enim*, inquit, *ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia, quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius (videlicet Christi) recommendaretur adventus & futura præsignaretur Ecclesia &c.* quibus ex verbis planè intelligitur, eum dispensationis Dominicæ œconomiam, quæ summa Religionis nostræ est, non satis capere, qui antiqui fœderis historiam, in eaque *Christi* & *Ecclesiæ* typos, prædictiones & vaticinia ignorat, ut igitur tanti Doctoris consilio obse-

Cant. VII. 13.

IV. Reg. XXII. 8.

Gal. III. 1.

I. Timoth. IV.

S. Aug. 1. de catech. Rud. c. 3.

loc. cit.

obsequer, meumque ritè obirem officium, toto in illud pectore incubui, ut populum, in urbe præsertim tam celebri, in prædictis Mysteriis instituerem, totius Veteris & Novi Testamenti historiam & Scripturam pro concionibus explanando, ac ubique digitum in Christum ejusque Sponsam Ecclesiam intendendo, quod ipsum Divos Apostolos ac Christi Discipulos consuevissent ex ipsorum Epistolis atque Actibus Apostolorum ad oculum liquet. His ergo defunctus laboribus certas ob causas cathedræ valedixi, damnatis ad perpetuum silentium prædictis concionibus.

Aliis tamen aliter visum est, judicantibus, eas non inutiliter typis mandari posse, saltem in subsidium *Neoconcionatorum*, quos omnino in Scriptura eruditos esse oportet. Quot autem sunt, inquiebant isti, ad quos, etiamsi Scripturam sacram legant, jure dici non possit, quod Philippus ad Evnuchum Candacis Reginæ Æthiopum legentem Isaiam Prophetam dixerat: *Putasne intelligis quæ legis? & quomodo possum?* respondebat Evnuchus, *si non aliquis ostenderit mihi?* Cùm ergo ex una parte studium S. Scripturæ omnium longè sit difficillimum: *mira profunditas eloquiorum tuorum*, exclamat M. Augustinus: *quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis! Sed mira profunditas! horror est intendere in eam, horror honoris & tremor amoris!* neque tamen (quod temporum nostrorum injuria est, haud satis deploranda) ullo in scholis ad istam tyrociniò præparemur; nullis quoad hanc scientiam institutionibus imbua-
mur; nulla in ipsam manuactione intromittamur; ex altera verò parte populo Scriptura sacra, Christi Ecclesiæ ac Patrum usu & exemplo, omnino sit explananda, quid Concionatoribus, iis maximè, qui ex scholastico pulvere, nullo penitus interstitio, Cathedram ascendere, populumque Christianum edocere jubentur, quid, inquam, factu opus sit, nemo profectò magis, quàm hi ipsi, ignorant.

Ast inquires: plures in Scripturam sacram Interpretes & Commentarii passim prostant. Bellè se habet: sed quotusquisque est, qui in gratiam & usum Concionatorum fuit conscriptus? Certè quidam tanta prolixitate sese in omne latus diffundunt, ut legenti imò vel percurrenti tantùm, tempus & memoria deficiat, maximè, cùm sese, aut profanam, qua turgent, eruditionem potiùs quàm Scripturam exponent; alii econtra ita succincti aut certè jejuni sunt, ut citiùs *mel de petra, oleùmque de saxo durissimo*, quàm inde aliquid lucis aut unctiònis extundi poterit; alii nodum in scirpo quærunt: alii difficultates movent, neque expediunt, aut easdem omnino dissimulant; alii quæstiones inextricabiles aut saltem inutilissimas nectunt; alii in locos non communes modò, sed communissimos digrediuntur; alii litteræ tantùm inhaerent; alii moralem duntaxat sequuntur sensum; aliis peritia linguarum; aliis cognitio Gentis & morum Israelitarum; aliis scientia temporum; aliis alia subsidia defunt, quæ ad interpretationem Scripturæ
omni-

A. VIII. 30.

L. 12. confels, c. 14.

omnino requiruntur, adeò ut nemo majori jure exclamaverit: *inopem me copia facit!* quàm Concionator inter modernos Scripturæ interpretes. Cùm ergo præfenti opere veteris Testamenti vel potiùs *Christi & Ecclesie* historia prodroma fat clarâ in luce sit posita, indicata ubique certiore temporis notâ, additis etiam observationibus non ubique reperiendis, quis negaverit juniores saltem Concionatores aliquem exinde fructum capere posse, si qua animum studiosius ad ista advertere, eos non pigebit! Præmonui autem in ipso statim hujus tomi frontispicio, me quidem in sequentibus sermonibus ea esse dicturum, quæ revera à me è suggestu ad populum dicta fuere, verùm non eodem omnino modo: tota siquidem specie differt ille dicendi modus, ab hoc nostro scribendi stylo, cùm hic ad Historiam, ille ad Rethoricen omnino pertineat, ut verò id facerem, multiplex mihi persuasit ratio: Prima est, quia sic magis conscribitur legentis commodo, si omnia clarè, perspicuè & distinctè, rejectis amplificationibus, quibus in Rhetorica locus esse potest, & debet, proponuntur, sic quippe animus objecta liberius judicat, lucidius dispicit, faciliusque memoria retinet. Altera ratio est, quia solidius semper, quàm ingeniosius docere, malui, veritus, si fortè *ambularem in mirabilibus super me*, ne quæ *evanescerem in cogitationibus meis*, fulgurantique cœlo similior fierem quàm fulminanti. Denique non verborum copiâ, sed rerum ubertate Lectorem uti & auditorem pascere, mihi ut quàm maximè semper volupe & in votis fuit.

Suscipite ergo, multùm Reverendi Domini ac Patres Neo-Concionatores! hunc qualemcùnque laborem meum, eo, quò ipse eundem vobis offero, animo! neque tamen propterea in hoc conquiescatis velim, non enim nisi rudi Minerva, primòque veluti carbone hanc, quam vobis dico, dedicòque, Historiam *Jesu Christi* Ejusdemque *Ecclesie*, præfenti opere delineavi; vestrùm proinde erit, emendicatis ante omnia à Patre luminum radiis, deinde etiam indefesso Scripturæ studiò ulteriùs eam illustrare, memores illius dicti, quod magnus Augustinus itentidem ingeminare est solitus; *Publicè profiteor, tantam esse Christianarum profunditatem literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio, conarer addiscere &c.* Illud unum etiam atque etiam observetis rogo, ut ne unquam *Jesus Christus* Ejusdemque *Ecclesie* vestris excidat oculis: hæc enim unica ac sola clavis est totius Scripturæ sacræ, quam qui negligit, nihil in ea adhuc invenisse, minùs comprehendisse fateatur necesse est, veluti Judæis & hæreticis usuvenit, quorum illi *Christum*, hi verò *Ecclesiam* tanta in Luce positam conspicerent, ne dicam contueri, haud quaquam valent. Hæc præfari Lingua Ecclesie & Eruditorum ad vos libuit,

b

mul-

s. Aug.
Epist 3.

multum RR. DD. ac PP. Neo-Concionatores! neque enim quod ad vos solos spectat, in vulgus, ut aliqui pessime faciunt, propalare oportet, utpote harum rerum non competentem iudicem.

Quantum ad usum Concionatorum hujus operis spectat, paucissimis aperio, a quoque, ex *initis Capitum exordia*; ex *documentis confirmationem*; ex *oratione ultima* cujusque capitis *Epilogum* facili negotio formari posse; *thema* vero & *materia* proprio Indice Concionatorio in fine cujusque tomi assignabitur. Porro quæ ad Chronologiam spectant, ex præfatione tertia elucescet, atque hisce Concionatorem & Lectorem Ecclesiasticum in Domino valere jubeo.

